

principiis tantum creditis, illa enim diversa est in specie a Theologia evidente, et tam essentialiter nititur testimonio, sicut fides, unde trahitur, et ideo non potest esse sine illa. Idemque erit de iudicio sapientiæ, si deductum est per discursum ex iudicio fidei, et consequenter tale donum non manebit idem numero vel specie in patria, sed aliud excellentius loco illius. Hæc incommoda occurrunt in hoc modo explicandi actum hujus doni, quæ si aliquis devoraverit, vel tolerabilia visa fuerint, poterit illum probabiliter defendere. Ego autem illum non probo; quia non est consentaneus doctrinæ D. Thomæ et Theologorum, ut illationes factæ ostendunt, quæ revera singulares sunt, et non possunt facile concedi. Et præterea, quia sapientiæ sic explicata non est necessaria ad justitiam, neque admodum utilis, et ideo non est cur inter dona Spiritus Sancti numeretur, et omnibus justis tribuatur: nam prout esse potest utilis ad commune bonum Ecclesiæ, potius ad gratias gratis datas pertinebit.

11. *Secunda opinio.* — *Difficultas contra hanc opinionem.* — Secundus ergo modus explicandi actum hujus doni est, ut immediate versetur circa ipsa dogmata fidei, ea præsertim quæ ad Deum ipsum pertinent, et in hoc cum fide conveniat, differat autem in actu quem circa illam materiam exercet. Quam diversitatem D. Thomas, dicta quæst. 45, art. 1, ad 2, his solis verbis explicuit: *Sapientiæ donum differt a fide, nam fides assentit veritati divinæ secundum seipsam, sed iudicium, quod est secundum veritatem divinam, pertinet ad donum sapientiæ.* Quæ verba sine dubio sunt valde obscura. Quid est enim assentire secundum veritatem divinam, nisi propter veritatem divinam assentire? Hoc autem facit fides credendo primæ veritati; ergo assentit secundum veritatem divinam; ergo in hoc non differt a sapientia. Vel e converso, si sapientiæ iudicat secundum veritatem divinam, eadem veritas divina est illi ratio iudicandi: ergo etiam ipsa assentit veritati divinæ. Denique vel D. Thomas loquitur de veritate divina tantum ut de re cognita, et sic non est differentia, quia de eadem veritate iudicant fides et sapientiæ: vel loquitur de veritate divina, ut ratione assentiendi, et sic idem est assentire divinæ veritati, vel iudicare secundum ipsam; vel fidei attribuit primam veritatem, ut rationem assentiendi, et sapientiæ solum, ut rem cognitam, et tunc oportet exponere sub qua ratione donum sapientiæ versetur circa veri-

tatem divinam, cum illius non habeat maiorem evidentiam, nec perfectiorem cognitionem quam fides, imo neque æque perfectam.

12. *Cajetani distinctio et solutio.* — *Confirmatur exemplo.* — Cajetanus ibi hac difficultate oppressus distinctionem excogitavit inter assensum et iudicium, dicitque donum sapientiæ et fidem non differere in materia, nec in ratione assensus, sed in actu; quia fides assentit veritati divinæ, sed non iudicat, sapientiæ vero iudicat. Differentiam autem inter assensum et iudicium in hoc constituit, quod assensus est sola determinatio ad alteram partem contradictionis, iudicium vero est *determinatio rei, ut est, vel esse debet.* Quæ duo dicit sese quidem mutuo inferre, formaliter autem differre, et assensum priorem esse iudicio secundum naturam. Quod declarat exemplo, quia in quæstione, verbi gratia, de conceptione Virginis sine peccato, qui ignorat quæ pars contradictionis vera sit, abstinere a iudicio, et nihilominus determinando se ad unam partem, credit illam. Postea vero addit Cajetanus etiam fidem iudicare secundum causas altissimas, non tamen cum tanta perfectione, quin egeat iudicio sapientiæ, de quo etiam ait non esse alium actum a iudicio fidei, sed eundem alio modo, scilicet, ex instinctu Spiritus Sancti.

13. *Distinctio Cajetani exploditur, et ostenditur assensum et iudicium idem esse.* — Ego vero intelligere non valeo differentiam inter assensum et iudicium. Et imprimis illa distinctio non habet fundamentum in D. Thoma, nunquam enim illam insinuavit, sicut nec alii Theologi vel philosophi. Deinde si non sit æquivocatio in verbis, non potest actus intellectus, circa aliquam materiam sub aliqua ratione esse assensus, quin formaliter et essentialiter sit iudicium, et e converso. Dico autem, *si non sit abusus, et æquivocatio in vocibus.* Nam si nomen iudicii restringatur ad iudicium de re per medium intrinsecum, vel per effectum, assensus vero latius sumatur pro quacumque determinatione intellectus, sic distingui poterunt aliquo modo, tamen ille est voluntarius usus vocum. Et adhuc illo modo non poterunt distingui nisi ut genus et species, quia iudicium erit perfectior assensus secundum illam conditionem; non potest tamen negari quin iudicium essentialiter sit determinatio intellectus ad id quod iudicat, et consequenter non potest esse iudicium, quin sit assensus. Re tamen vera etiam omnis assensus est iudicium, neque illa distinctio vo-

cis iudicium habet fundamentum in usu, neque in aliqua impositione, de qua constet. Unde supponunt omnes iudicium intellectus posse esse evidens et inevidens, certum et incertum, et per medium intrinsecum et extrinsecum, quod est evidens ex usu illius vocis, tam inter philosophos et Theologos, quam in communi vulgo. Sic enim dicimus vel leviter vel temere iudicare de aliquo, qui facile credit aut assentit illum peccare vel prava intentione operari: hæreticus etiam dicitur de rebus fidei iudicare esse falsas, cum solum humana fide ducatur. Item dicimus iudicare inter opiniones, quando alteri assentimus, etiamsi evidentiam vel claritatem non habeamus, et sive medio intrinseco, sive extrinseco utamur.

14. *Impugnatur amplius Cajetanus.* — *Cajetani exemplum refellitur.* — Stante ergo hoc usu vocis, est evidens non esse differentiam inter assensum et iudicium. Nam, ut ostendi, iudicium veritatis intrinsece et essentialiter est assensus, quia est determinatio ad alteram partem contradictionis, et e contrario omnis assensus est iudicium, quia est determinatio rei, ut est vel esse debet. Nam qui credit Deum esse trinum et unum, determinat in mente ita esse; et qui credit Deum esse hominem, determinat ita esse debere. Item non potest intellectus determinari ad assentiendum alicui veritati, nisi iudicando illam esse veritatem; quomodo enim determinatur, si non iudicat de eo ad quod se determinat. Unde impossibile est determinationem esse priorem iudicio, vel e converso. Nec exemplum Cajetani aliquid confert, nam qui ignorat an Beata Virgo fuerit concepta in peccato, necne, quando ad neutram partem se determinat, est propriissime ignorans, seu dubitans negative: quando vero ad alteram partem se determinat, quamvis habeat ignorantiam veritatis in se, et oppositam scientiæ, seu evidentiam, aut fidei divinæ, tamen, eo ipso quod se determinat ad alteram partem, iudicat illam esse probabiliorem, aut veram cum formidine, et quoad hoc putat se jam non ignorare, sed aliquo modo rem illam cognoscere.

15. Ad hominem item possumus contra Cajetanus convincere, in præsentem etiam materiam non habere locum distinctionem illam. Quia ipse Cajetanus fatetur peccatorem sine dono Spiritus Sancti percipere divina, utique illis assentiendo, et iudicare etiam cavendum esse ab idololatria secundum altissimas causas, et hoc iudicium dicit esse actum fidei, et recte, quia creditur certitudine fidei, et quia

Deus ita revelavit: est ergo ille etiam assensus fidei; ergo similiter quilibet assensus fidei, de quacumque veritate revelata, est iudicium de illa secundum altissimas causas divinæ veritatis: ergo etiam actus sapientiæ eodem modo quo est iudicium, est etiam assensus. Quod autem Cajetanus in fine subjungit, actum fidei et doni esse eundem, solumque differre in modo, quia hic procedit ex instinctu Spiritus Sancti, destruit doctrinam D. Thomæ de donis; quia actus fidei non potest altiori modo procedere ab Spiritu Sancto per instinctum doni, quam per inspirationem ipsius fidei, licet in hac inspiratione possit esse latitudo, et una possit esse major vel efficacior, vel cum majori intensione, qui modus accidentarius est. Item ille modus non est in ipso actu, sed in causa actus, scilicet, in præveniente auxilio majori vel minori, quo non obstante actus non est in se melior essentialiter; accidentaliter autem differentia, et parum refert, quia tota illa latitudo perfectionis continetur sub virtute fidei, et sæpe poterit non intercedere ex libertate hominis, minus cooperantis quam cum majori auxilio possit.

16. *Vera assertio de convenientia, et differentia fidei et sapientiæ.* — Dico ergo fidem et sapientiam convenire tam in ratione iudicii quam assensus, differre tamen, quia fides iudicat simpliciter esse verum quod revelatum est, et quia revelatum est. Sapientiæ vero, ut hic sumitur, non iudicat de veritate ipsa revelata, quod vera vel falsa sit, sed iudicat de rebus divinis, quatenus convenientiam habent, et dignæ sunt ut amentur vel credantur. Sicut in mysterio Incarnationis, verbi gratia, aliud est ita esse, aliud esse convenientis, et decens divinam bonitatem, et sapientiam, etc. Primum ergo iudicatur per fidem, secundum per donum sapientiæ, quando ex peculiari instinctu et motione Spiritus Sancti habetur tale iudicium, et hoc sensu ait D. Thomas, supra citatus, sapientiam iudicare inhærendum esse rebus divinis. Et ita sunt priora verba intelligenda: nam iudicium fidei supponitur, et est quasi directum, sapientiæ vero quasi reflectitur in rem divinam creditam, et attentius illam contemplatur ac ponderat, ac tandem iudicat adhærendum esse illi, tanquam dignissimæ fidei vel dilectione.

17. *Solvitur instantia.* — Dices etiam fidem iudicare res fidei esse dignas assensione, et mysteria supernaturalia esse convenientia, etc. Respondetur fidem non habere directe hæc iudicia, et quando illa habet, solum esse sub

ea ratione, qua ut dicta a Deo proponuntur. Sapientia vero de his iudicat ex contemplatione ipsarum rerum revelatarum per fidem, quasi intuenso in illis, vel ex earum effectibus, rationes convenientiæ, vel amabilitatis, aut aliarum proprietatum, de quibus iudicat. Et isto modo solet contemplatio sapientiæ attribui, ut est apud Augustinum, 12 de Trinit., cap. 4. Sic etiam D. Thomas, dicta quæst. 45, art. 2, dixit hoc iudicium sapientiæ esse secundum quamdam connaturalitatem ad amorem. Supponit enim hoc donum amorem divinum: amor autem, ut dixit Dionysius, cap. 4 de Divin. nominibus, transfert amantem in amatum per singularem unionem, et inde facile oritur iudicium de rebus divinis per quamdam connaturalitatem ad illas. Sicque dixit Augustinus, lib. 8 de Trinit., cap. 9: *Quando flagrantius Deum diligimus, tanto certius sereniusque videmus.* Nam qui amat, magis attendit et considerat ea quæ amat, et facilius illi placent. Quod confirmant Christi verba Joan. 7: *Si quis voluerit voluntatem ejus facere, cognoscat de doctrina utrum a Deo sit.* Et inde nascitur effectus ille a quo hic actus sapientiæ nomen accepit, nam ea quæ amantur, cum suavitate et dulcedine cogitantur.

18. Et hinc etiam intelligitur hunc actum sapientiæ non ita tribui intellectui speculativo, quin circa practicas etiam veritates versetur, sed dicitur esse perfectio speculativæ partis, vel quia in illa principaliter versatur, vel quia etiam de practicis in generali et modo speculativo iudicat, ut D. Thomas, dicta quæst. 45, art. 3, docuit. Atque ita etiam explicuit hoc sapientiæ donum Albert. in 3, distinct. 33, art. 1, ad 1, dicens sapientiam esse quoddam lumen divinorum, sub quo videntur et gustantur divina per experimentum. Et similiter dicit Richard. ibi, artic. 2, quæst. 1, actum sapientiæ esse contemplari Deum ex dilectione, cum quadam experimentalis suavitate in affectu. Atque hæc sententia satis pia et probabilis est, et juxta illam facile distinguitur actus sapientiæ ab actu fidei, quia sapientia non est credulitas veritatis, sed supponit illam, et consistit veluti in quadam scientia experimentalis veritatis creditæ.

19. *Quomodo hic actus in se supernaturalis sit.* — *Resolutio.* — Semper tamen relinquuntur difficultates, quomodo talis actus possit esse supernaturalis quoad substantiam, cum videatur in medio quodam naturaliter cognito niti; illa enim experientia amoris et bonitatis Dei

naturalis est: unde nunquam potest esse tanta ut faciat evidentiam veritatis cognitæ. Dicendum vero est, experimentum illud plus esse quam naturale, quia est per effectus supernaturales, et ex peculiari operatione Spiritus Sancti conferentis quemdam peculiarem sensum spiritualem illorum effectuum, et affectuum interiorum, qui per solum naturale lumen apprehendi non posset. Et licet inde non cognoscatur evidenter veritas rerum divinarum quæ per fidem revelantur, evidenter nihilominus iudicantur et reputantur consentaneæ divinæ bonitati, et quadam peculiari certitudine causata etiam ex motione Spiritus Sancti mens illis adhæret, et fide ac amore dignas reputat, et ita talis actus in sua substantia et modo supernaturalis est, et sine Spiritus Sancti specialissimo auxilio non obtinetur.

## CAPUT XIX.

QUIS SIT ACTUS INTELLECTUS DONO SPIRITUS SANCTI SPECIALITER ATTRIBUTUS?

1. *Doctrina sancti Thomæ.* — *Prima difficultas contra doctrinam D. Thomæ.* — Secundo, explicandus est actus intellectus quem Isaias secundo loco numeravit, de quo etiam divus Thomas in diversis locis videtur varie loqui. Nam 1. 2, quæst. 8, artic. 4, sentit actum intellectus non pervenire ad iudicium, sed sistere in apprehensione supernaturalium veritatum ad intellectum speculativum pertinentium, ut de illis iudicet sapientia, quia in hoc tantum distinguit hunc actum ab actu sapientiæ: a scientia vero et consilio illum distinguit, quia istorum duorum munera ibi tribuit intellectui practico. Hæc autem doctrina patitur difficultates. Una est, quia difficile est realiter distinguere apprehensionem a iudicio in supernaturali cognitione ejusdem veritatis. Quia vel per apprehensionem illam cognoscitur veritas rei apprehensæ, id est, ita esse sicut apprehenditur, vel sistitur in sola compositione, sine cognitione an ita sit vel non sit, sicut modo apprehendo astra esse paria, ignorando an ita sit. Si primum dicatur, illa apprehensio est iudicium; quid enim est iudicare, nisi mente definire ita esse, et veritati assentire? At ille qui apprehendendo propositionem cognoscit esse veram, jam assentit illi, et mente definit ita esse; ergo si intellectus, ut est donum, apprehendit cognoscendo, iudicat: ergo non potest in hoc distingui ab actu sa-

pientiæ. Si vero dicatur secundum, scilicet, per actum illum apprehendendi, non cognosci veritatem rei apprehensæ, profecto imperfectissimus est talis actus, et non est cur sit supernaturalis, maxime cum non fiat per species per se infusas, sed per acquisitas per visum vel auditum.

2. *Secunda difficultas.* — *Tertia.* — Et præterea est supervacaneus talis actus, quia ipsa sapientia non potest iudicare, nisi, per ipsum actum quo iudicat, apprehendat rem de qua iudicat: ergo superfluum est ponere præviam apprehensionem puram, et peculiarem Spiritus Sancti gratiam ad illum actum postulare. Consequentia clara est; antecedens probatur, quia homo in hac vita non iudicat nisi componendo et dividendo, vel syllogistice concludendo: non potest autem componere, nisi apprehendendo terminos, et illos ordinando, et conjungendo per actum, quo cognoscat eos vere conjungi vel disjungi: ergo dum sapientia iudicat, componit et apprehendit. Denique altius est iudicium fidei quam sapientiæ; at vero iudicium fidei non fit sine intima compositione et apprehensione: ergo nec iudicium sapientiæ aliter fit. Ideoque licet ante iudicium fidei præcedat cogitatio, et consequenter apprehensio rei credendæ, nondum cognoscendo veritatem, seu an ita sit sicut apprehenditur, nihilominus illa apprehensio, quæ antecedit, non est specialis actus supernaturalis, nec propter illum ponitur speciale donum, vel auxilium Spiritus Sancti, distinctum ab ipsa fide, et auxiliis ad illam necessariis: ergo nec iudicium sapientiæ tale donum prærequirit. Videntur ergo hæc argumenta convincere actum intellectus, si supernaturalis sit, et versetur circa res divinas et supernaturales, necessario consistere in aliquo iudicio. Sic autem difficillimum est illum ab actu fidei et sapientiæ distinguere, quia non potest esse iudicium de veritate per se nota viatori, quia hæc cognitio non datur in via de veritatibus divinis: ergo vel est ex testimonio divino, et sic non distinguitur a fide; vel est ex alio medio, ut ex effectibus vel congruentiis, et sic non potest distingui a sapientia, aut explicare oportet quod sit ejus motivum, et quæ sit veritas de qua fert iudicium.

3. *D. Thomas dono intellectus aliquod iudicium attribuit.* — Nihilominus D. Thomas vel non perstitit in priori sententia, vel aliter illam explicuit, præbendo intellectui aliquam veram cognitionem et iudicium, 2. 2, q. 8,

art. 1, ubi in corpore concludit intellectum esse quoddam *supernaturale lumen, quo potentia penetrat et cognoscit quæ per lumen naturale cognoscere non valet*: penetrare autem et cognoscere, non est pure apprehendere absque iudicio; et solutione ad 3, dicit intellectum indicare quamdam excellentiam cognitionis penetrandi in intima. Et in solutione ad 1 et 2, comparando hunc intellectum quasi divinum cum naturali intellectu principiorum, videtur aperte sentire, sicut intellectus principiorum est iudicativus principiorum naturalium, ita intellectus donum, principiorum supernaturalium. Præterea in articulo 2, intellectui tribuit illustrationem mentis in Scripturarum intelligentia, et de illo exponit verba Luc., ult.: *Dedit illis sensum, ut intelligerent Scripturas.* Intelligere autem Scripturas non fit sola apprehensione sine iudicio, ut per se notum est. Et in corpore ejusdem articuli tribuit intellectui quod per illum homo intelligit fidei veritates, saltem quoad hoc, *ut cognoscat quæ exterius apparent illi contraria, non esse vere contraria, neque propter illa esse a veritate fidei recedendum*: hoc autem sine magno iudicio non fit; ergo munus intellectus præcipue versatur in iudicando de his quæ apprehendit. Item in articulo tertio tribuit huic intellectui non solum speculativam cognitionem, sed etiam practicam, quia cognoscit humanos actus secundum quod per legem æternam, seu per rationem æternam regulantur; practica autem cognitio regulativa operationis iudicativa est. Denique in articulo quinto dicit ad donum intellectus pertinere rectam æstimationem de ultimo fine; recta autem æstimatio iudicium mentis est: ergo etiam pertinet ad intellectum iudicare.

4. *Vera assertio: donum intellectus etiam iudicium includit.* — *Probatur rationibus num. 1, 2 et 3 factis.* — *D. Thomas exponitur.* — In hoc puncto mihi imprimis videtur ponendum esse actum intellectus non in sola apprehensione terminorum vel propositionum, sine ulla cognitione et iudicio aliquo de re apprehensa, sed in tali apprehensione quæ aliquid penetret, percipiat et consequenter iudicet. Hoc quoad rem ipsam apud me convincunt rationes priori loco factæ; quoad mentem vero divi Thomæ idem probant loca posteriori loco adducta. Neque existimo aliud intellexisse in 1. 2, cum dixit, *ad apprehensionem veritatis perfici mentem per donum intellectus*, quia hoc idem dixit 2. 2; nam quæst. 8, artic. 1, dixit, *per hoc lumen intellectus reddi*